

Alte Drucke

SERMONES || D. Guarrici Abbatis Ignia-||censis, magni illius Bernardi olim discipuli, mul=||ta pietate ac eruditione differti, iam recens ad || ...

Guerricus <Igniacensis>

Lovanii, 1555

Sermo in Quadragesima.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150379](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150379)

vobis, & de negligentia purgabitis vos cum paucis, quia timor iste nihil facile negligit. Denique ab initio huius fidei pertransibitis sicut sponsus sponsam se pollicetur, euntes de virtute in virtutē, à claritate in claritatē tanquam à Domini spiritu: proficientes de visione quæ est per fidē, ad illā quæ est per speculū & imaginē, ac postremò de illa quæ est in imagine speciei, ad eam quæ erit in ipsa veritate faciei, seu facie veritatis. Si enim iugiter præsentiam Domini licet velatā intendatis per fidē, aliquando etiā revelata facie gloriā eius speculabimini, licet per speculū & imaginē. Cū autē impletis diebus purgationis venerit quod perfectū est, assistetis Domino in Hierusalē, habitātes cū vultu eius, ac sine fine cōtūētes eū facie ad faciē, cui benedictio, & claritas in secula seculorū. amē.

Ital. B3

Sermo in Quadregesima.



BENEDICTVS Deus pater misericordiarū & Deus totius consolatiōis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Multæ tribulationes iustorū, & de omnibus his liberabit eos Dominus.

Duplex autē genus tribulationum patimur: quia *Tribulatio*
 non

QVADRAGESIMALIS

*tionis duo
plex genus
patimur.*

non solum duplici natura subsistimus, carne scilicet ac spiritu, sed etiam duplici qualitate viuimus: partim scilicet carnaliter, partim spiritaliter. In mundo eramus toti carnales, in caelo erimus toti spirituales: nunc autem ex parte carnales, ex parte spirituales. Prout autem proficimus in spiritu, aut magis efficimur spirituales & minus carnales, aut magis remanemus carnales, & minus spirituales. Propterea duplex modo confurgit tribulatio: quia quod in nobis carnale est, contristat aduersitas: quod spiritale, iniquitas. Si nihil in nobis esset carnale, nulla nos contristaret, imo nulla esset aduersitas: si nihil spiritale, non nos nostra contristaret, sed magis delectaret iniquitas: sicut de quibusdam dicitur, Laetatur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Illa ergo nostra de aduersitate tristitia, carnalis & secundum seculum est: haec autem de iniquitate, spiritalis & secundum Deum. Illa mortem operatur, si desit consolatio: haec salutem operatur, si non desit consolatio. Multum tamen interest in aduersitate exteriori, cuiusmodi sit consolatio tristitum: quia consolatio diuina, comminatio diuina. Vnde intentat aeternum. Quia nimirum plerumque qui humiliari poterant ex aduersitate, grauius superbiunt de prosperitate: proditque ex adipe iniquitas eorum, imo & audacter prouocant Deum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum. Nos autem & cum abundat illa consolatio temporalis oportet esse gratiores & humiliores: & cum deficit, de aeterna redemptione certiores & letiores. Cum tamen super-

*Prosperitas
tas multis
est occasio
superbiae.
Consolatio
temporalis
cum deest,
latiores*

petit

petit siue salus corporum, siue tranquillitas temporum, aut copia rerum, ea moderatiōe vtenda ac dispensanda est: vt sit non occasio peccati, sed adiutorium virtutis, ac potius de bonis bona faciamus, quàm de bonis mali fiamus. Illa nanque consolatione qua se diffundit voluptas, vel extollit vanitas, renuat consolari anima mea, magisq; eligit cū Moysē & viris Israeliticis affigi, quàm temporalis peccati habere iucunditatē. Siue autem consolemur exterius, siue tribulemur, benedictus Deus, qui consolationem internam & æternā dedit in cordibus nostris: id est gaudium spei quæ suadet nos etiam gloriari in tribulationibus nostris: pollicens, quia si compatimur, & conregnabimus. Illam sanè tribulationem quam interius de iniquitate nostra patimur, tantò molestiorem portamus, quantò periculosiorem experimur: quia nimirum quotidie de vita periclitamur, vt veraciter confiteamur, nisi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitasset in inferno anima mea. Gratias tibi Domine Iesu, quia si graua sunt pericula, facilia sunt remedia: quia si dicebam motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me: & quod semel in Petro figurasti corporaliter, in filijs Petri quotidie adimple spiritualiter. Iussisti nos venire ad te super aquas, id est hoc mare magnū & spaciosum manibus: ecce virtute tua ambulamus, sed pondere nostro grauamur, & plerunq; irruente spiritu procellarum impellimur, vt etiam mergi incipiamus, id est penè iam iamq; tentatori con-

esse debemus.

Matth. 14

QVADRAGESIMALIS

fentiamus. Sed si celeriter confiteamur pedē motum, id est titubasse animum, & fideliter inuocemus auxilium, tu misericorditer porrigis manū, firmasq; & dirigis gressum. Super hoc quotidie iustus decantat: Impulsus sum, vt caderem, sed non cecidi, quia Dominus suscepit me. Sed cūm ceciderit nō collidetur, quia Dominus supponit manum suam: id est cūm peccauerit non condēnabitur, quia aduocatū habet Iesum, eō quōd & si septies in die cadit, septies resurgit. Non delectatur iacere vbi cadit, & in luto volutari, sed ocius exurgens excutit se de puluere, & sordes diluit satisfactiōe. Per hoc nanq; iustus fit, quod semper in initio sermonis accusator est sui, memor consilij diuini, quo dictū est ei: Dic iniquitates tuas, vt iustificeris. Ita fit vt dū seipsum iudicat, & Deum de se vindicat, illum quem iudicem metuebat iustum, reus aduocatū habeat. Iustus enim Dominus & iustitias dilexit: nec potest iniustus causas suscipere aut tueri: qui cūm acciperit tempus etiam iustitias iudicabit. Et tamen qui iudicem se minatur futurum superbē de iustitia præsumentium, aduocatū se pollicetur humiliter peccata confitentium: quoniam apud illum in cuius conspectū non iustificabitur omnis homo, nullatenus causam testificari nostrā melius possumus, quā si nosmetipfos accusantes & punientes, iustitiā ipsius in nos transferamus, & partes iudicis aduersus reos exequamur. Sed & si in aliquo veniali vel per ignorantiam fallimur, vel per infirmitatē vincimur, vt Iesum nostrum

*Psal. 117.
Ibid. 36.*

*Christus
qui iudicē
se minitatur
superborum,
aduocatus
erit
humiliū.*

nostrum nequaquã exterminare præualeamus,
 sed semper sub oculis nostris in terra nobiscum
 habitare patiamur: in hac quoq; imperfectione
 nostra consolatur nos sermo ppheticus, qui nos
 in se transfigurans ait: In ipsis fuimus semper &
 saluabitur. Imperfectum meum, inquit corpus *Psal. 138.*
 Christi, viderũt misericordes oculi tui & in libro
 tuo omnes scribentur, id est scripti inuenientur,
 tam perfecti quã imperfecti. Pollicetur siqui-
 dem Dominus se perfecturum imperfectionem
 nostram, loquens per Iohelē prophetam: Et *Iobel. 3.*
 mundabo, inquit, sanguinem eorum quem non
 mundauerunt. Hinc *Esaias* cũ præmisisset de
 perfectione futuræ cœlestis Hierusalem: & erit
 omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in
 Hierusale, sanctus vocabitur omnis qui scriptus
 est in vita in Hierusalem, quod in infirmis nõ nisi
 purgatiõẽ diuinã perficiẽda sit sanctitas illa sub-
 iunxit dicens: Si abluerit Dominus sordẽ filiarũ *Esa. 4.*
 Sion, & sanguinẽ lauerit de medio Hierusalem.
 Consolatur quidẽ me lauatio quæ promittitur,
 sed terret modus qui subditur. Spiritu, inqt, iu-
 dicij, & spiritu ardoris. Ignis enim opus cuiusq;
 probabit. Si cuius opus arserit, detrimentum pa- *1. Cor. 3.*
 tietur, ipse autem salus fiet merito fundamenti,
 sic tamen quasi per ignem. Quanto melius nunc
 arderemus delectabili amore, quam tũc illo pœ-
 nali ardore? Quanto suauius nunc igne amoris *Ignẽ amo-*
 purgaremur, vt mundanum in nobis non relin- *ris hic san-*
 queretur quod mundi incendio obnoxium inue- *tius est*
 niretur: sed sicut tribus pueris vêtus roris fieret *purgari. 3.*

QUADRAGESIMALIS

postea purgatorio igne.

nobis fornax Babylonis. Alioqn si tepidè & negligenter viuētes, ligna, scœnum, stipulam nobis coaceruamus, & tantam ignium materiam hinc nobiscum portamus, cùm examen illius purgatorij tales intrauerimus, quis poterit de nobis habitare cum igne deuorante: aut quis habitabit ex nobis cum ardoribus sempiternis: quādo omne etiā uestimentū mixtū sanguine erit in cōbustionem & cibus ignis? Scio quidē, quia si satis arderem igne charitatis, de me quoq; diceretur: Dimittitur ei peccata multa, quoniā dilexit multū.

Luc. 7.

Nūc autē si purgari nō mereor igne dilectiōis: utinam vel purgarer alicuius igne passionis: fieretq; mihi quod ppheta imprecatur sibi: Ingrediatur putredo in olsibus meis, & subter me lateat, ut requiescā in die tribulatiōis. Utinā qui cœpit ipse me cōterat, soluat manū suā, & succidat me: & hæc mihi sit consolatio, ut affligēs me dolore nō parcat. Verūtamenō nosti Domine infirmitatē figmenti mei. Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam, aut quis finis meus, ut patiēter agam? Nec fortitudo lapidū fortitudo mea, nec caro mea cœna est. Hoc primū quidē peto Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripas me.

Habac. 3.

Sed quoniā audio abste, Ego quos amo arguo & castigo, & beatus homo qui corripitur à Domino: corripe me Domine in misericordia, & nō in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me, & dicatur de me, Detraxisti eum ab emundatione.

Iob 3.

Intuere infirmitatem meam, & secundum illam manum tuam moderare, ne uehementia uerberis frangat

Apoc. 3.

frangat

frangat patientiã cordis: sed magis tribulatio patientiam operetur, patientia probationem, probatio spem. Sed v̄x mihi si quotidie vr̄or, & non emundor: vt & de me dici contingat: Multo labore sudatum est, & non exiuit de anima rubigo eius neque per ignem. Immundicia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis: sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciã indignationẽ meam in te. Quãm vereor ne id cadat in nos, qui districtione vitæ velut quodam purgatorio igne quotidie coquimur, & nunquã ab iniquitate nostra, sicut oportet, mundamur: & forsitan nõ mundabimur, donec sedeat iudex ipse quasi ignis confus & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Verumtamen quantulumcunq; proficiat nunc iste ignis, malo tamen interim mihi hũc adhiberi, quam ad illum penitus differri. Nam si ad inuicem comparentur, iste quidẽ medicina est misericordis, ille vltio irati. Ita sentiebat, qui dicebat: Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripas me. Scio quidẽ quia tũc etiã cum cõturbata fuerit aĩa mea Domine: in ira misericordiz memor eris. Scio quia etiã in luctu & pœnis cõsolaber me spe meliori: & inimicę potestati cui emendandus ad tẽpus traditus essem, verbis prophete responderem dicens: Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi, confurgã. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quia peccaui ei, donec iudicet causam meã. Educat me in lucem, videbo iustitiã eius: & aspi-

Ezech. 24

Micha 7

QVADRAGE. SERMO I.

eiet me inimica mea & operietur confusione. Et dicam in illa die : Confitebor tibi Domine quoniam iratus es mihi : conuersus est furor tuus, & consolatus es me. Veruntamē cur timebo in die mala? Cur non magis in die bona bonis fruor, & diem malam præcaueo? Nonne ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis? Cur non

Eccles 9.
audiam modo consilium sapientis, Quodcunq; potest manus tua instanter operare: quia non est consilium nec ratio, nec sapientia apud inferos quò tu properas: & illud Apostoli: Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes: Cooperamus quidem à consolationibus, sed ad terrores deuenimus: quia tunc nimirum consolatio utilis erit, si terrori mixta fuerit: tunc ingrediemur in veritate tua Domine, si ita lætatur cor nostrum, vt timeat nomen tuum. Alioquin si omnino vos securos faceremus, diceretur & de nobis: Popule meus qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & vestigia gressuum tuorum dissipant. Tunc autem verè beati erimus, si miseriam nostram rectè agnoscamus & piè doleamus: tunc securi in morte erimus, si semper pauidi suspecteque viuamus.

Esa 3.

Galat. 6.
Consolatio
utilis erit
si terrori
mixta fuerit.

nostram rectè agnoscamus & piè doleamus: tunc securi in morte erimus, si semper pauidi suspecteque viuamus.

¶ SABBATO

SABBATO SE- cundæ hebdomadæ Qua-

dragesimæ, de Parabela prodigi filij ad pa-
trem reuersi.



FOELIX humilitas pœniten-
tium, ô beata spes confitentium: *Pœnitentia*
quàm potēs es apud omnipotens *quantum*
tem, quàm facillē vincis inuinci- *apud patrē*
bilē, quàm citō tremendū iudicē *possit.*
conuertis in pijsimum patrem.

Prodigus iste filius cuius hodie in magnam ædifi-
cationem nostrā audiuimus peregrinationem
ærumnosam, pœnitentiam lachrymosam, susce-
ptionem gloriosam, prodigus, inquam, iste tam
grauiter reus, nondū confessus erat, sed tantū
confiteri deliberauerat: nondum satisfecerat, sed
tantū ad satisfaciendum animū inclinauerat:
& de solo ferè proposito cōceptæ humilitatis ve-
niam statim obtinuit, quæ tanto tempore tantis
expetitur votis, imploratur lachrymis, ambitur
obsequijs. Latronem in cruce sola confessio ab-
soluit, istū sola voluntas confitendi. *Psal. 31.*
Dixi, inquit, confitebor aduersum me iniustitiam meam Do-
mino: & tu remisisti impietate peccati mei. Vbi-
que misericordia præuenit. Præuenerat volun-
tatem confessionis, ipsam inspirando, præuenit
& vocem confessionis, quod confitendum erat
indulgendo. Cū adhuc, inquit, longè esset, vi-
dit illum pater ipsius, & misericordia motus est:

L v & ac-

QUADRAGESIMALIS

& accurrens cecidit super collum eius, & oscu-
 latus est eum. Quantum hæc verba sonare viden-
 tur, tardius videbatur patri, filio veniam dedisse,
 quam illi accepisse. Sic festinabat absoluerẽ reũ a
 tormẽto consciẽtiæ suæ, quasi plus cruciaret mi-
 sericordem compãsiõ miseri, quam ipsum misero-
 rum passio sui. Neq; hoc dicimus, quò in natura
 incommutabili humanos ponamus affectus, sed
 vt in amorẽ illius summæ bonitatis affectus no-
 ster dulcescat: dum ipsam plus nos amare, quam
 ipsi nos amemus, ex similitudine discimus hu-
 mana. Vide autem quomodo vbi abundauit de-
 lictũ, superabundet gratia. Reus vix poterat spe-
 rare veniam, iudex imò iam non iudex, sed aduo-
 catus, accumulãt gratiam. Citò, inquit, proferte
 stolam primam, & induite illum, & date anulum
 in manu eius, & calciamẽta in pedes, & adducite
 vitulum saginatum, & occidite & manducemus
 & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat
 & reuixit. Verum, vt hæc omnia prætereamus,
 scilicet stolam primam, id est, sanctificationẽ spi-
 ritus, qua baptizatus induitur, & pœnitens reindu-
 ditur: anulũ fidei quo subarratur: calciamẽta,
 quibus ad calcanda serpentum venena munitur,
 vel ad euangelizandum præparatur: vitulum sa-
 ginatũ qui ei in altari immolatur, festiua illa gau-
 dia quæ pro recepto indicta filio toto celebrãtur
 cœlo: vt hæc inquam omnia taceamus, & doctio-
 ribus tractanda seruemus, amplexus ille & oscu-
 lum paternæ pietatis, quid non habet gratiæ &
 dulcedinis? quid nõ felicissimi gaudij? quid nõ
 sanctis-

*Plus nos
 amat Deus,
 quam ipsi
 nos amemus.*

*Stola pri-
 ma quid.*

*Anulus.
 Calciamen-
 ta.*

*Vitulus sa-
 ginatus.*

sanctissime voluptatis? cecidit, inquit, super colu-
lum eius, & oscular' est eum. Cùm sic super eum
affectabat, quid agebat amplectens & osculans,
nisi illum sibi vel seipsum illi insinuabat, se illi in-
spirabat, vt adherendo sibi vnus secum fieret spi-
ritus, sicut adherendo meretricibus vnum cum
eis corpus fuerat effectus? Parũ erat illi summæ
misericordiæ viscera suæ miserationis non clau-
dere miseris: in ipsa sua eos viscera trahit, suisq̃,
inserit mèbris. Nõ poterat nos sibi arctius atrin-
gere, nõ poterat nos magis intimos habere, quã
vt corporaret sibi, & sicut charitate sic virtute ine-
ffabili, non solũ assumpto corpori, sed etiam
ipsi cõnirer spiritui. Quõd si tanta est gratia pœ-
nitentium, quæ erit gloria regnantium? Si ista
sunt solatia miserorum, quæ erunt gaudia beato-
rum? Et qui hoc prærogat in via, quid seruat in
patria? Vtique quod in cor hominis nõ ascendit:
vt ei similes simus, & sit Deus omnia in omnib'.

Iam verò tu beate peccator, sed licet nõ ideo bea-
tus quia peccator, sed quia pœnitēs de peccato:
quid tibi, rogo, animi erat inter amplexus patris
& oscula, cùm prope desperatũ refouebat, cùm
cor mundum tibi innouans, lætitiã salutaris sui
tibi refundebat? Et quomodo, inquit, sermo ex-
plicabit, quod mens non capit? Inenarrabiles ge-
mitus, & inexplicabiles sunt affectus, quos de in-
comprehensibili velut impregnatus parturit ani-
mus. Angustum est eis cor humanũ, vndè & scis-
sum effundit seipsum: & ardorem quem concipit,
sed nõ capit, quibus potest modis, lachrymis,
gemitu-

QUADRAGESIMALIS

gemitibus, suspirijs, euaporat ac digerit. Norunt hæc melius, qui gustauerunt sapius & vberius. Nunc quoque, inquam, cum dimissus possit illos amplexus & oscula, te & teipsum recogitas, cum causam tuam qualis fuerit, qualiterue ab eo iudicata sit retractas: & illinc abundantiam delicti tui, hinc superabundantiam gratiæ pensas: quid tibi obsecro parit cogitatio tua? Quid ni, inquit, intolerabilis in meditatione mea exardescat ignis: illinc dolore & pudore, hinc gaudio & amore? Nō me hominē putarem sed lapidem, si ita duri cordis existerem, vt meipsum non dolerem vel erubescerem: vel ita nequam & ingrati, vt non totus in gaudiū vel amorem illius patris liquefierem. Custodi igitur o fœlix peccator, custodi sollicitè ac vigilanter hunc spiritum tuum, hunc iustissimum humilitatis ac pietatis affectum: quo semper ita de te sentias in humilitate, de Domino in bonitate. Nihil illo maius in donis spiritus sancti, nihil preciosius in thesauris Dei, nihil sanctius inter omnia charismata, nihil salubrius inter omnia sacramēta. Custodi, inquam, si vis ipse custodiri, humilitatem illius sensus & vocis, qua patri confiteris & dicis: Pater iam nō sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnū de mercenarijs tuis. Nihil ita patrē promeretur sicut huius vocis affectus, nec melius te filium facies dignū, quā si semper confitearis indignum. Hæc humilitas nō solum peccatores iustificat, sed etiam iustos consummat, iustitiamq; eis accumulatur: si videlicet se seruos fateantur inutiles, etiam cum

*Humilitas
te nihil ma-
ius inter
dona spiri-
tus sancti.*

*Humilitas
iustos con-
summat.*

quæ præcepta sunt, fecerint omnia. Peccatū tuū
 coram te sit semper, & iuxta consilium sapientis,
 etiam de propiciato peccato noli esse absq; metu.
 Incerta & occulta sunt iudicia Dei, non temerè *Iudicia deī*
 præsumendum est de illis, cū nil inde certius *incerta.*
 teneamus, quā quòd in conspectu Dei non iu-
 stificabitur omnis viuens, nisi in quantum se iu-
 dicat peccatorem. Alioquin quasi pannus men-
 struatae vniuersæ iustitię nostræ. Blandè te misero
 recordia suscepit, piè refouit: time iudicium, ne
 gratia quæ data est humili, auferatur superbi. E-
 legisti abiect^o esse in domo patris tui, contētus
 eras fieri q̄si vnus ex mercenarijs: ita in sentētia,
 vt etiā si promotus es, adhuc ad maiora proueha-
 ris. Extremū locū semper occupa, aut certè deside-
 rera: seruitutē tibi mercenarij, nō libertatē filij
 tibi vindica. Deuotioe quidē filij patrē cole, con-
 scius quid ipse de te meruerit: sed humilitate &
 labore mercenarij contentus esto, conscius quid
 ipse merueris. Nunquā tibi displiceat humilitas,
 per quā placere cœpisti, & sine qua displicere in-
 cipies, quātiscunq; pollere virtutib^o, quantūcun-
 que patri officiosus deseruire videaris. Hūilitas *Humilitas*
 siquidē oīm virtutū est maxia, cū tamē virtutē *omniū viri*
 se esse nesciat. Ip̄a ferè oīm radix, & seminariū, & *tutū maxi*
 fomes, & incētiū, & ipsa eumulus & fastigiū, cu-
 stodia & disciplina. Ab ip̄a inciipiūt, per ip̄am p̄fi-
 ciūt, in ip̄a consummātur, per ipsam conseruanc-
 tur. Cūq; oībus vt virtutes sint tribuat, si qua ea-
 rum defuerit, vel minus p̄fecta fuerit, ip̄a alteri^o
 defectu proficiēs, dispendiū illius de se cōpensat.